



TC 92





ANNVENTE GRATIA DIVINA
NOBILIUM QUÆSTIONUM ETHI-
CARUM DECAS I.

De
NATURA ET CON-
STITUTIONE ETHICES,

Quam
In Illustri VVitebergensium Academia,

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO

Philos. Moralis Prof. Publ.

Defendendam suscipiet

CASPARUS STERNENBECKE
DRESDENSIS.

Ad diem V. Id. Jun. horis locoq. consuetis.

Arist. 2 Nicom. c. 1.

Quæ faciendæ sunt discipulis, ea faci-
entes discimus.



VVITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.



*AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,
Consultissimisq; Viris,*

*J. U. Doctoribus eximijs,
Dn. LEONHARTO KÖPPELIO,
Serenissimo Saxoniae Electori à Consilijs
Appellationum, & superioris, quod
est Dresdæ, Consistorij Asses-
sori dignissimo;*

NEC NON

*Dn. JOHANNI FREÛNDIO, Duci
Curlandiae, & Semigalliae à Consilijs,
Amitino suo exoptatissimo,
desideratissimo;*

*Dominis & patronis suis omni studio jugiter
colendis,*

*Ἡοὺ γύμνασμα ἠθικόν, quaecunque gra-
titudinis & observantiae Sym-
bolum exhibet*

Casparus Sternenebeck. A. & R.



Σὺν Θεῷ.

Π Ρ Ο Ο Ϊ Μ Ι Ο Ν.



Quæ verò disciplina est, quæ cum Ethicâ in arenam descendere ausit? Hæc dux vitæ est, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, morum magistra, quâ nullum majus aut melius à DEO conceditur beneficium, ut inquit *Tullius* eloquentissimus. Hæc docet, non quid supra nos cum Orione, aut alijs sideribus; sed quid circa nos, in omnibus vitæ partibus, quid publicis, quid privatis, quid forensibus, quid domesticis in rebus, quid nobiscum, quid cum altero agatur. Hæc definitiones & divisiones virtutum *Theologo*; Legum principia fontesq; *Jurisconsulto*; *Medico* & denique singulis ac universis morum integritatem & suavitatem conciliat. Et quid multa? Potius sale & sole, igni & aquâ carere possumus, quàm Ethicâ hâc, cui summum hominis bonum propositum est, quod qui ignorat, vivendi rationem omnem ignorat, & instar *Polyphemi Euripidei*, porciq; *Homerici* grassatur. Quæ cum ita se habeant, an non maximè nostrarum partium jam fuerit, in hujus disciplinæ nobilissimæ studium omnes conatus omnesque nervos intendere & convertere? Proinde, bono cum DEO, lubet eandem iterùm per nobiliorum quarundam questionum discussionem atq; explicationem, sub disputationis incudem revocare, ut ab hâc disciplinâ plenius & rectius instructi, summæ istius Philosophicæ beatitudinis eò facilius compotes fieri queamus: Adsit DEUS & faveat!

A 2

QUÆSTIO

QUÆSTIO I.

Quid Ethica, quæ ejus causæ efficientes; quodnam objectum, quis finis?

Questionem hanc sæpius pertractavimus: nunc singula membra strictim tangemus. 1. Definitur autem Ethica hæc à varijs variè; à Platone *animi medicina*, à Cicerone l. 3. Tusc. quæst. *affectuum & perturbationum animi medicina*, in lib. de fin. *ars vivendi, doctrina bene vivendi*, ab Alcino. de doctrina Plat. 33. *virtus in contemplando & agendo posita, cujus institutum sit civitatem bonam, beatam sibiq; omni ex parte consentientem efficere*. Verùm priores harum definitionum Rhetorica tantum sunt descriptiones, ultima non modo genus vitiosum adhibet, sed etiam contemplationem Ethicæ in agendo duntaxat occupatæ attribuit; idcirco, hisce neglectis, Ethicam definimus prudentiam, vel ut alij, artem, quæ hominis appetitum per virtutem informat, ut rectæ rationi pareat ad consequendam felicitatem, quæ homini in hac vitâ contingere potest. 2. Causæ efficientes duæ sunt, quarum una remota, altera propinqua. Remota DEUS est, noticias naturales inferendo, tum suo afflatu promovendo. Inferendo: DEUS enim hominibus ad imaginem suam creatis; noticias naturales in sevit, ut honestum à turpi possint discernere. Promovendo; Quia ut in omnibus rebus absq; DEI auxilio labor noster inanis est: Sic etiam in Ethices studio nihil possumus proficere, nisi DEUS dextrâ adjutricæ adsit.

Propinqua est duplex, vel principalis, vel instrumentalis. Principalis sunt præceptorum Ethicorum auctores

vires, qui sunt in genere omnes homines, qui leges honestissimas tradiderunt, & utilissimas de regendis moribus sententias descripserunt: in specie sunt Socrates & Aristoteles, quorum hic optimus, ille primus Ethica autor dicitur. Ad principalem hanc causam etiam referri possunt auditores secundum precepta appetitum rationi subjicientes, actionesque suas in mediocritate versari cupientes. Instrumentalis est Logica; qua hoc in loco ab Aristotele ad methodum materiae Ethicae inducendam adhibetur. Logica siquidem suppellex cunctis apparatus est scientijs, ad utendum pro suo cuique commodo atque facultate, ut inquit Scaliger. exerc. 1. sect. 3. 3. De subjecto Philosophiae moralis, inquit Donatus Acciajolus in prooem. in Aristotel. Ethic. etsi plures opiniones afferri soleant, illa tamen praclarior esse videtur, quae dicit esse hominem eam ratione, qua liber est, in agendo. Nam sicut Medicina considerat hominem secundum ea, quae spectant ad corpus: Sic moralis Philosophia considerat hominem liberum: & de homine ea, quae sunt animi, ut virtutes & operationes, & alia ejusdem generis, quae ut proprii affectus competunt ei. Hac Acciajolus. Nos distinguimus inter subiectum cognitionis, & operationis: de quo jam sapius. 4. Finem Ethicae, quae vel ratione sui & per se, vel ratione aliarum disciplinarum & propter aliud addiscitur constituimus duplicem, principalem vel minus principalem. Principalis duplex est, internus & externus: Internum dicimus hominis beandi informationem: Externum vero civilem beatitudinem, quae non in ipsa disciplina est, sed extra eam acquiritur. Minus principalis est Theologiae & Jurisprudentiae, nec non Oratoriae inservire.

QUÆSTIO II.

An legitimum genus Ethices sit Philosophia,
uti placet Piccolomineo?

In definitione nostrâ Ethices, genus ejusdem ad-
duximus prudentiam. 1. Cùm enim Ethica non nobiscum
nascatur, sed per crebras exercitationes ex igniculis nobis con-
natis educatur, habitum eam esse deprehendimus, 2. cùm a-
nimo & menti, non corpori insit, illam intellectualem esse col-
ligimus, 3. cùm verò actionem finis loco habeat non cognitio-
nem nec affectionem, rectè etiam inferimus, illam nec sapi-
entiam, nec scientiam, nec intellectum, nec artem, sed pru-
dentiam esse. 4. Quod & sic probamus. Cui competit defini-
tio, eidem competit & definitum. Ethica competit defini-
tio prudentia. Ergo. Minoris probationem ex definitio-
ne prudentiæ iuvimus, quæ extat 6. Ethic. cap. 5.
Φρόνησις ἐστὶν ἐξ ἑστῆς ἀληθείης μετὰ λόγου πρακτικὴ καὶ περὶ τὰ ἀνθρώ-
πων ἀγαθὰ καὶ καλὰ. Ex hac enim apparet, prudentiæ vim per
totam Ethicam esse diffusam atq; sine illius moderatione nul-
lam virtutem constare posse. Quâ de causâ à Platone
prudentia ἡγέμων τῶν ὀρθῶς πραγμάτων, à Philosopho 1. magn.
mor. in fine δεξιτέκτων πνεύμων ἀρετῶν appellatur.

Piccolomineus introductione ad 10. gradus civ.
Phil. talem ponit Ethices definitionem: Civilis scientia
est Philosophia humanas actiones componens ex natura in-
ternâ commotione sapientisq; animi fecunditate orta, ut in
omni gradu honestum attingamus, summoq; civili bono pro
facultate fruamur. In hac definitione, ut & verbis antegres-
sis, Piccolomineus disciplinam Ethicam non per prudentiam:
sed per Philosophiam definiendam esse statuit: Verùm rectè
ne, an secus, de eo inter doctos dubitatur. Dicemus nos,
quod res est. 1. Definitio tota est obscura. 2. verbis constat

πεπλευσ-

πρωλασμίους. 3. Genus, de quo hic vel imprimis quarimus, obtinet minus legitimum, cum Ethica non sit Philosophia sed pars Philosophia. 4. Causas efficientes inculcat, quæ tamen à perfectæ rei definitione omnino debent esse aliena. Tu judica: nos ad alia abimus.

QUÆSTIO III.

An tolerari possit divisio Philosophiæ moralis in Theoricam & Practicam?

Antonius Mirandulanus unicam tantum vult esse Practicam Philosophiæ partem, eamque in Ethicis contentam; Politicam verò & Oeconomicam negat veras esse partes. Cur? Quia, inquit, hæ tantum inventæ sunt ob pravitatem hominum, quam vel Magistratus vel paterfamiliās corrigere tenetur. Verum hæc logica nulla est. Eadem enim possem concludere, etiam Ethicam non esse partem, quia si quilibet suâ sponte faceret, quæ sui sunt muneris, non opus esset virtutum præceptis & incitamentis. Acciajulus, cum quo consentit Magirus & alij, Philosophiam practicam in tres dividit partes, in Ethicam, Politicam & Oeconomicam, & illam singulorum hominum moribus tantum agere; hanc domus & familiam gubernare; mediam denique Rempublicam regere ac disponere asserit. Hanc divisionem Piccolomineus ideò rejicit, quia dicit, Ethicam tantummodò singulorum hominum mores componere, ac singulos homines instituere, quæ tamen universæ Philosophiæ civilis principia declarat. Profert igitur aliam, bipartitam nimirum in introd. ad 10. grad. c. 8. Unamque partem ex vulgari verborum usu Theoricam, alteram practicam vocat. Hæc divisio an tolerari possit quaritur? Et quidem à multis affirmativa statuitur. Nos quoque illam non simpliciter rejicimus, sed quoad rem ipsam admittendam censemus,
quatenus

quatenus videlicet dicit, Ethicam specialiter ita dictam ea proponere, quae universam Philosophiam practicam concernant, & sic tam ad Politicam quam Oeconomicam referri debeant. Theoricam autem minus congruè eam vocari putamus, cum in politicâ quoque multa sint à praxi remotiora, ut sunt definitiones rerum publicarum, earundemque divisiones; & Oeconomica quoque domus naturam & partes proponat, quae idcirco etiam Theorice vocari mererentur: Contra verò Ethica, Specialis sive Theorica, ut hic vocatur, quam plurima praecipiat & de ipsismet actionibus tradat. Quod si igitur cui placeat tum Ethica, tum politica & Oeconomica pracepta & axiomata seorsim quaeque sumpta in Theorica & Practica distinguere, ei non repugnamus. Ac quamvis Ethica (Specialis) cum plurima de summo bono & principiis actionum contineat, potius contemplationis quam actionis, & in se Theorica esse videatur: ultimi finis tamen ratione, practica est. Non enim in ejus cognitione acquiescimus, sed hanc ad ultimum scopum, qui est actio, dirigimus. Potiore autem termino Philosophia moralis videtur dividi in partem communem, quae tradit principia, fundamenta & semina universae Philosophiae civilis, & in genere monstrat, quodnam officium sit viri boni, cujuscumque tandem ordinis & status is sit: & propriam, quae descendit ad singularia, & pracepta communia societatibus Politicâ & Oeconomicâ accommodat.

QUAESTIO IV.

An in libris Ethicis specialiter ita dictis privati singulorum mores tantum informantur.

Ita quidem inferri posse videtur ex eo, quod Philosophus 5. Ethic. 2. Ethicam vocet privatam cujusque disciplinae, quae quidem vir bonus est absolute. Verum testimonium

monium hoc, malè huc detortum, pro parte negante potius
facit: Ethica siquidem in Græco textu non disciplina privata,
aut vitæ privata, sed disciplina singularum, hoc est, communis,
ad quosvis in omni vitæ & societate spectans, nominatur. Hinc
etiam Philosophus l. 1. & 5. Eth. testatur, non ad solitudinem
sed ad conversationem natum esse hominem: adeoq; planè su-
pervacaneum fuerit de vitæ solitariâ præcepta præscribere. Pro
quâ assertione & has sequentes rationes apponimus. I.
Quemadmodum in omni disciplinâ primò ea sunt declaran-
da, quæ sunt principia & communia fundamenta universa
discipline: ita etiam in civili scientiâ primò explicanda sunt
communis universa Philosophiæ moralis, non autem ea, quæ
pertinent ad institutionem unius tantum vitæ generis, nempe
sui met. II. Vna disciplina debet habere unum commune subjectum.
Subjectum autem commune habet principia communia, com-
munesq; affectiones, quæ primò declarari debent. Cum itaq; ci-
vilis disciplina sit una, necesse est, ut sit prædita communibus
principijs, communi sine, communibusq; affectionibus primò
declarandis. Falsum itaq; est, putare, quòd primò agatur de e-
jus distincto genere vitæ, unoq; proprio ejus bono. III. Patet
hoc ex progressu hujus discipline. Nam in libris de moribus non
agitur de summo bono vitæ privatae, sed hominis quamcunq;
vitam viventis. IV. Deniq; in libris Politicis & Oeconomicis
non aliud bonum reperitur, quàm hic explicatum fuit. Facit
huc ipse Aristoteles, quando ait 7. de Rep. c. 2. eandem
esse singularum & civitatis felicitatem; item l. 1. magn.
mor. c. 5. Ethicam partem ac principium esse scientiæ civilis,
rectiusq; Politicam, quàm Ethicam esse appellandam; item 4.
Pol. c. 11. 7. Pol. c. 13. libros Ethicos Politicos esse elementa,
Idem 9. Eth. 2. rationem ferendarum Legum statuit partem
Philosophiæ moralis. Ratio autem ferendarum legum ex Eth-
ica fundamentum sumit, plenariè tamen in Politica traditur.

10. *Eth. circa finem.* Constat igitur hinc, in Ethicis quidem singulorum hominum mores, sed non prout in se & privatim, sed prout in societate humanâ considerantur, informari.

QUÆSTIO V.

An doctrina Ethica sit quædam ad Christum pædagogia?

Andrædus, *referente Chemnitio parte. 1. examinis Tridentini fol. 110. declarans illud Clementis, quod Philosophia sit pædagogia ad CHRISTUM; ita demum concludit: Philosophiæ meditatio, quia mentem DEI cognitione illustrat, pietate informat, virtutumque instrumentis & amore exornat, ad Evangelium quodammodo viam munit. Philipp. Melanchthon in Epit. Phil. mor. & aliâs passim crebris sermonibus usurpat isthac: Ethica doctrina est pædagogia seu deductio ad Christum, qui in ijs, qui non frenantur & reguntur disciplinâ, sed securi indulgent sceleribus, & feruntur, quocunq; impellunt cæci animorum impetus, non est efficax per Spiritum sanctum. Et p. 6. Præstanda est disciplina, cujus pars est doctrina Ethica, quia est pædagogia in Christum, quia Deus in his, qui perseverant in delictis contra conscientiam, non est efficax. Atq; hæc sententiam fusiùs deducit & explicat Rudolphus Goclenius in præfat. in Philosophiam practicam Mauritianam.*

Pro quæstionis determinatione notandum. I. quod lex moralis, quæ nihil aliud, quàm repetitio legis nature, sit quidem noster in Christum pædagogus. Gal. 3, v. 24. interim tamè Philosophia moralis, licet & ipsa sit legis nature explicatio. Melanchthon. in Epit. Phil. mor. p. 3. ad Ecclesiæ doctrinam, vix tenuis quædam pædagogia sit, & umbras virtutum veriùs, quàm virtutes ipsas integrè describat. Decalogus n. est explicatio legis nature, qualis fuit in statu innocentie, non qualis nunc est, in statu corruptionis, in quo dictamen recte rationis naturâ homini inæsitum non est perfecta lex nature, sed ejus particula: Eiusdemq; νόμων ἐνοίων sunt potiùs rudera ima-

ginis divina, quàm ipsa plena & perfecta Dei imago. Menzerus
tom. 4. disp. Marp. disp. 5. thesi 4. Proinde lex Dei explet hoc, quod
jam legi naturæ & Philosophiæ deest, quia certissimam normam
operum proponit, confirmat a testimoniis divinis & perfectam
exigit congruentiam omnium virium cum Deo. II. Doctri-
na moralis occasionaliter quasi viam aliquam sternit ad verita-
tem & cultum Dei, & sic etiam ad Christi agnitionem, quem
admodum patet olim ex populis in Borussia & Livonia, hodie
v. ex America & India incolis, quorum animos Deus primo
morum consuetudine & humanitate curavit, & deinde luce Eu-
angelij illustravit. Nec tamen hinc doctrinam Philosophicam
cum doctrina Ecclesiæ, in ijs, quæ sunt Spiritus, comixtam [volu-
mus. Chemn. l. d. quin potius Philosophiæ, legis & Evangelii pro-
lixum discrimen agnoscimus. Philosophia de Evangelio nihil
quicquã novit; sed particula duntaxat est legis moralis, qua-
tenus lex precipit disciplinam honestam. Lex est æterna & immota
sapientia, precipiens integram obedientiam, & multipliciter da-
mnans omnes non habentes integram obedientiam. Evangelium
est concio, quã peccatores ad poenitentiam invitantur, mostra-
tã Invenia legis divina, & propositã dulcissimã pr positione
de beneficiis Christi gratuiti. Proinde concludimus hanc quæ-
stionem aureis istis verbis Petri Plateani l. r. Ethices Christianæ,
c. 2. Deus Ethnicos ad legitimũ suum cultum per moralẽ Phi-
losophiã plurimãq; alia benignitatis sue documẽta variis tẽ-
porib. invitavit, & corã tribunali suo ita reddidit inexcusabi-
les. Aberrãt autẽ illi totã viã, qui Ethicã & Evangelium eandẽ
esse semitã somniãt: Versatur n. moralis illa Philosophia in qui-
busdã operũ externorũ præceptis tradẽdis, quib. hominẽ informa-
re & ad civilem virtutẽ deducere conatur, justitia humana ab
oculis probat et atũmodò cupida. Christi autẽ doctrina altiùs
assurgẽs Dei arcanã voluntatem reserat, quicquid pertinet ad
eternã & divinã justitiã ostẽdit, ex quã tãquã è proprio fonte
fluunt bona opera alioquin Deo displicentia, qualicunq; justiti-
cie fucò colorentur. Hæc ille.

QUÆSTIO VI.

Num doctrina Ethica propterea damnanda & repudianda sit, quòd alicubi B. Lutherus dicat: Eam esse pessimam gratiæ inimicam?

Equidem B. Lutherus etsi in initio *συρράξων* cum Pontificiis, videatur Philosophiæ de moribus fuisse iratior ob ἀπειθεύσαν Scholasticorum Doctorem, qui perperam confuderant humanam seu Philosophicam felicitatem cum Spirituali, quæ consistit in gratuita Remissione peccatorum, uti videre est Tom. 6. Germ. V Viteb. pag. 564. & Tom. 1. Jenensi Germ. p. 310. Tamē eā per se & intra sui generis limites positā, victis adversariis, postea maximopere probavit, nec à multarum Aristotelis sententiarum allegatione, & ad suum institutum accommodatione abhorruit. E.g. In c. 2. γενέσθωσ prescribens regulam de scriptis sanctorum Patrum: Elegans, inquit, & vera est sententia Aristotelis. 1. Eth. c. 6. melius esse, patrocinari veritati, quàm nimis addictum esse ijs, qui nobis tam familiares & conjuncti sunt, atq; hoc imprimis decere Philosophum &c. Idem dicta Aristotelis 1. Eth. c. ult. τὸν λόγον ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ἰπὶ βέλτιστε παρακαλεῖν, & 1. 2. Eth. c. 2. actiones instituendas esse κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, contra Scholasticos Doctores, ijs turpiter abusos, dextrè admodum interpretatur, in 3. γενέσθωσ. Idem in c. 48. Gen. lib. 5. Ethicorum Aristotelis subinde commendat. Vide Clariss. Neldel. in prato Log. p. 634. Cùm ergo B. Lutherus non ipsum Ethices usum; sed abusum duntaxat improbârit: idcirco nec nos hanc Philosophiæ partem inclementius excipiendam esse censemus. I. Quia hæc doctrina ratione seminum honest. & boni est naturalis. Deus autem naturalia non tollit. Scal. Exerc. 278. II. Scriptura eandem in solidum non rejicit; sed potius ratione defectuum perfuit. III. Politica in communi non damnanda. E. nec Ethica. Rejicimus

simus ergo defectum, improbamus abusum, rem ipsam retinemus.

QUÆSTIO VII.

An doctrina Ethica in externis actionibus conformandis tantum sit occupata; non verò in internis?

Plerique hic affirmativam tenent cum Nomothetis, sive Politicis Præceptoribus, qui tantum puniunt, quantum manu comprehendunt, & oculis vident: Unde quemadmodum cogitationis pœnam nullam constituunt (L. cogitationis D. de pœn.) ita ipso externo factò, quod lege præscriptum est, sunt contenti, sive quis illud pœna metu, sive invitus præstiterit. De proposito autem animi, de voluntate, & electione aut nunquam omninò, aut rarò admodum curant, &c. Dan. l. i. Eth. Christ. c. 2. p. 4. Verùm nos his simpliciter subscribere non possumus. Sunt enim etiam actiones internæ, circa quas informandas & regendas Ethica hæc nostra vel maximè occupata est, atq; hæc naturæ, & rationis viribus suscipiuntur & peraguntur. De ijs siquidem, quæ à Spiritu sancto in nobis excitantur, hic non agimus, cum ad Theologiam pertineant.

Assertionem autem nostram his probamus rationibus. I. Quia bonitas actionis, qua à virtute esse dicitur, ex duobus estimatur: Ex intentione bona, & interno animi affectu seu habitu Scal. exerc. 307. l. 27. Ergo omninò interna quaedam requiritur ἐπιποθεὶν & mens sedata, à quâ bonæ istæ oriuntur actiones. Ergo externam disciplinam non tantum moderatur virtus; sed & quodammodo interiores subigit, temperat, regit & dirigit commotiones. II. Aristoteles 2. Nic. c. 4. quinq; quasi *ἡρώματα* ponit bonæ actionis, quibus virtutum actiones estimanda. 1. ut agens agat εἰδώς. 2. ut agat ἐθελούσως. 3. ut agat ἀποπροσμεν. 4.

B 3

ut agat

ut agat βεβαιως καὶ ἀμετακινήτως ἐχόν. 5. ut agat ἠδέως. Atq;
hac omnia internam quandam εὐχρημοσύνην important. III.
Omnis virtus est habitus. Arist. 2. Nicomach. c. 5. At-
qui omnis habitus internum componit & quasi animat, velut
igne Promethei, hospitem. IV. Huc facit Philip. cum in
Loc. Com. de Lege divina inquit: Hocigitur discrimen
consideretur. Humanae leges tantum postulant aut vetant ex-
terna opera: Philosophia docet aliquantò amplius, videlicet
actionem honestam esse non tantum externum aut simula-
tum opus; sed in MENTE rectum iudicium, & in VOLUNTATE
liberam electionem; seu ἀγαθόν ad rectè faciendum accede-
re oportere, &c. Vide Dan. in Eth. Christ. l. 1. c. 2. p. 4.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo Ethica mortis possit dici meditatio à
Platone in Phædone?

Plato in Dialogo de sapientia inculcat hanc Philosophiæ
descriptionem, quam ex Pythagoræ disciplinâ manasse testatur
D. Hieronymus in apologia adversus Rufinum: Philoso-
phia est mortis contemplatio. Hac definitio alicui, preser-
tim Christiano, primo intuitu mira videri potest, quomodo
nempe ex Philosophiâ mortis considerationem petere quis debe-
at, cum potius ex fontibus Israël, hoc est, sacris literis illa hau-
rienda sit, ex quibus vera & sincera mortis oritur meditatio.
Vnde, & Rex & Propheta David orat: Doce me mori, Do-
mine. 90. Psal. Notandum igitur est, duplicem esse mor-
tem, naturalem & civilem, ideoq; inter hanc & illam di-
stinguendum. De illa, quæ in abscessu animi è corpore consi-
stit, si queratur, mortis meditatio omnino ad Theologiam re-
ferenda est; si de hac, naturalem dico, ad Philosophiam. No-
minatur autem mors civilis, quando quis sese ita dat cœle-
stium & divinarum rerum contemplationi, ut quasi extra cor-
poris hoc ergastulum mente abreptus, omnium malorum cupi-
ditatum tempestatibus sepultis quasi, in serenissimum abduci-

sur, ubi omnia tranquillo animo peruestigare queat. Etenim secundam Socratem nihil est tam homini veritatis lucem cernere cupienti inimicum, quam corporis contagio & voluptatis illecebra, quæ mentem concreta caligine offusam, falsis decipit imaginibus, nec à sensuum turbâ & colluvione ad mundi spectaculum & ad rerum naturam perlustrandam egredi sinit. Hinc igitur videre est, quâ ratione Ethica mortis contemplatio dicatur, videlicet ratione mortis civilis, quæ quidem ad omnes pertinet disciplinas, in primis autem ad Ethicam. Cur? Quia hæc docet affectibus turbulentis & cupiditatibus pravis frenum injicere, hostesq; tranquillitatis vera retundere ac prosternere. Vide optima apud Donatum Acciajol. in Procem. in Aristotelis Ethicam.

QUÆSTIO IX.

Verumne illud? Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Ictus?

Verum est. Sicut enim bonus Medicus esse non potest, qui non sit Philosophus naturalis: ita nec bonus legislator, qui non calleat moralem Philosophiam Zab. l. 1. de const. scient. natur. c. 37. Et Vultejus in præf. Jurisp. Rom. de studio Juris pag. 58. inquit: Sine quibus autem jus satis commodè disci nequit, omnes sunt Philosophiæ partes, cum primis autem Ethica, quæ Juris quædam principia proponit. Quibus suum calculum etiam adjicit Tullius in l. 1. de Leg. ubi ait: Jurisprudentia non est è prætoris dicto, neq; è duodecim tabulis: sed penitus ex ipsa hominis natura repetenda est, & qui aliter jus civile tradunt, ij non tam justitiæ, quàm litigandi tradunt vias, quoniam lex est summa ratio inserta in natura, quæ jubet ea, quæ faciendæ sunt, & prohibet contraria. En gravissimorum virorum autoritatem! En rationem: Principiis ignoratis, nemo in principiatorum cognitionem pervenire potest. Ethica verò continet principia juris. Errant igitur, qui juri civili navant operam, nec primò accuratè addiscunt pertinentia ad virtutes & summum bonum. Hi versantur in rivulis, neglecto fonte, & ambulant sine prænotione finis, in quæ tēdunt. Picc. in int. ad Phil. Mor. g. 10. c. 10. Adminiculatur autē Ethicæ Jurisprudentiæ potissimùm duplici nomine. 1. fontes legū aperiendo, qui sunt recta ratio, justitia ac prudentia. 2. Finem ac metam omnium actionum præfigendo, dum nos docet omnia ad civilem beatitudinem dirigere.

QUÆSTIO

QUÆSTIO X.

An Ethica potius quam Metaphysica sit omnium artium *δεξιτεκτονική* & primaria?

Inter nonnullos de primatu scientiarum controversatur. Sunt qui Metaphysicæ illum assignant. I. *Cum hæc omnium sit prima, ut liquet tum ex illius rerum tractatione, tum Philosophi appellatione, à quo πρώτη vocatur, l. i. Met. c. 1. & 2. lib. 6. c. 1. Item κούρα πάντων καὶ πρώτη, l. i. Met. c. 2. & 4. Eorund. c. 1.* II. *Cum Metaphysica circa res divinas, Ethica circa caducas sit occupata.* III. *Cum contemplatio sit omnium actionum præstantissima, Phil. l. i. Eth. c. 7. & l. 10.* Ex adverso alij Ethicam volunt esse primariam, 1. *Cum non tantum vera, sed etiam honesta, qua veris præferuntur, requirat.* 2. *Cum omnibus vite generib. prosit, nullamq. sine hac, ut absq. Metaphysicâ, consistere possit.* 3. *cum omnia Philosophia encomia veritatem & perfectionem suam in Ethicâ assequantur.* 4. *deniq. cum ipse Aristoteles eam nominet dominam & architectonicam reliquarum scientiarum. l. i. Eth. c. 2.* Ut autem opinio utraque concilietur, distinguimus inter Metaphysicam & Ethicam absolute consideratas & *εξηκώς*. Metaphysica absolute considerata præstat Ethicæ. Si *εξηκώς* & utriusque necessitas & utilitas expendatur, Ethica est præstantior, quam Metaphysica.

AD

Ornatiss. & Doctiss. Dn. Respondentem;

Nobilium, CASPARE, decem problemata morum—
 Profers ingenij fertilitate tui?
 Immo VELSTENIO Morum Dextore jubente—,
 Profers dexterius discutienda alijs.
 Egregium herclè virum te præstas! Nonne mereris
 Egregio extolli nominis ellogio?
 Maeste isto fervore animi! Tibi adornat Apollo
Ellogium laudis lauriferumq. Deus.


M. Wolfgangus Schallerus.


E I N I S

X 2677027

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



201
(1)

INTE GRATIA DIVINA
 QUÆSTIONUM ETHI-
 RUM DECAS I.

De
RAET CON-
TIONE ETHICES,

Quam
Wittebergensium Academia,
 PRÆSIDE

RICO VELSTENIO
 f. Moralis Prof. Publ.
sendendam suscipiet

US STERNENBECKE
 RESDENSIS.
Id. Jun. horis locoq. consuetis.

rist. 2 Nicom. c. 1.
nda sunt discantibus, ea faci-
entes discimus.

(O)

WITTEBERGÆ,
 han. Gormanni, Anno 1610.

